

„ acceperit id, quod privilegiis, & literis Duca-  
 „ libus satis apparet; tamen quod immatura morte  
 „ præventus, dum Principis sui nomine nobis gra-  
 „ tulatum ob victoriam Africanam in Siciliam  
 „ venit, non potuit concessis diu frui, dignum  
 „ duximus, postquam status Mediolani ad nostrum  
 „ imperium redierit, eam animi nostri significa-  
 „ tionem erga eum declarari; in ejus hæredes,  
 „ idest in Lucretium, & Thomam conferre, &  
 „ ideo deputamus annuam pensionem scutorum du-  
 „ centum, durante eorum vita super quibuscum-  
 „ que redditibus. „ Eodem anno memoratus Car-  
 „ olus V. Imperator Marsiliam contendit, subinde  
 „ in Italiam advenit. Antonius de Leva Capitaneus  
 „ Generalis in Italia moritur. Res infeliciter geritur,  
 „ multa onera perticatus mensualis, & alia hujus-  
 „ modi ad bellum sustinendum imponuntur. In locum  
 „ Antonii de Leva demortui, Alphonsus Davalos  
 „ Marchio Vasti sufficitur; & ab hoc anno usque ad  
 „ 1542. maximum bellum viguit in Pedemontana re-  
 „ gione inter Imperatorem, & Galliarum Regem. Inte-  
 „ rim induciæ fiunt, ut quilibet teneret id, quod  
 „ bello cepisset, induciæque ipsæ decem annis per-  
 „ durarent.

MDXXXVII. Flumieres nomine Gallorum Re-  
 „ gis in Italia Vicarius copiosum Gallorum exercitum  
 „ in montes deduxit, & apud Poerinum in Pede-  
 „ montana Regione situm castra locavit. Cæterum  
 „ Marchio Vasti inter Astam, & Alexandriam, ut  
 „ eidem obviam fieret castrametatus est, quo in lo-  
 „ co plures dies consumpsit. Interim exercitus ipsius  
 „ plura damna Agro Alexandrino intulit.

MDXXXVIII. Die quarto mensis maii Ludovicus  
 „ Panizzonus eques Hierosolymitanus hoc potissimo  
 „ tempore floruit, stipendioque meruit in exercitu  
 „ reipublicæ Venetæ, quæ eum Ducem constituit  
 „ centum velitum, Andrea Gritto ejusdem reipu-  
 „ blicæ Duce.

MDXL. Ludovicus Ghilinus juris utriusque Do-  
 „ ctor in Collegium jurisconsultorum Mediolani coop-  
 „ tatur, in quod ex Mediolanensium statuto nemo  
 „ admittitur, nisi qui inter cætera ortus sit ex anti-  
 „ qua, & nobili civitatis familia, aliaque requisita  
 „ habeat, quæ a memorato statuto requiruntur.

MDXLI. De mense augusti Carolus V. Impera-  
 „ tor Alexandriam advenit, in qua honorifice acci-  
 „ pitur; nam cives Quadraginta viri nobiles albis  
 „ indutos vestibus illum exceperunt. Mox Mediola-  
 „ num ingreditur regia pompa a Mediolanensibus  
 „ receptus, & civitas ipsa omnes civitates domini  
 „ descriptas proposuit. Alexandria prima a manu fini-  
 „ stra civitatis Mediolani collocatur, quæ se se offe-  
 „ rebat præeunte (1) fasce spicarum cum modio  
 „ antiquo, quo mensurabatur frumentum, his adscrip-  
 „ tis verbis. **ALEXANDRIA FRUMENTI ET CÆ-  
 „ TERARUM FRUGUM UBERTATE VELUTI  
 „ HORREUM CISALPINORUM IN URBEM ERE-  
 „ CTA ADVERSUS MEDIOLANENSIS IMPERII  
 „ HOSTES PROPUGNACULUM.** Postquam collo-  
 „ cata fuit Novaria, deinde cæteræ civitates status  
 „ pro dignitate, & antiquitate.

(1) Prætereunte MS.

MDXLII. Dissoluto exercitu Delphini filii Gal-  
 „ liarum Regis, Itali, qui sub suis stipendiis merebant,  
 „ Italiam petere aggrediuntur; sed cum sine duce  
 „ & sine stipendio essent, quove progredierentur, ne  
 „ scirent, tumultuariis ducibus sibi adscitis Aurelio  
 „ Bologneto, Gerardo Frascaria, & Carrecia Lechenfi  
 „ Montembarutium pervenerunt cum septemcentum  
 „ peditibus electis. Quod cum resciret Alphonsus Da-  
 „ valos Marchio Vasti cum omni ejus exercitu, &  
 „ 10 juvenute Alexandrina & septem tormentis bellicis,  
 „ Montembarutium obsidet; sed cum viriliter oppi-  
 „ dum a propugnatoribus defenderetur per aliquot  
 „ horas, post septemcentum bombardorum ictus, qui-  
 „ bus mœnia disjecta fuerunt, oppidum capitur; multi  
 „ occiduntur; qui superfuerunt cædi, capiuntur. Eo-  
 „ dem anno die quinto mensis junii pugnatum acer-  
 „ rime est apud Serravallem oppidum inter Cæsaria-  
 „ nos, & Gallos, qui insignia Philippi Strozzi seque-  
 „ bantur; nam hic dum Mediolanum occupare vellet,  
 „ 20 copias in illud duxit. Sed cum ea spe decideret,  
 „ auxilio maturius adventante, vexilla convertit, ut  
 „ opem ferret his Gallis, qui Carignanum obsidebant,  
 „ & præterea inusitatis itineribus agmen ducit per  
 „ montes, & convalles penes Appennini juga; sed  
 „ cum Iriam flumen transvadare tentasset, Carolus  
 „ Lanojus conjuncto equitatu cum Salernitano Prin-  
 „ cipe Cæsarianis transitum impedire conati sunt, ibi-  
 „ que certamen ingens. Milites Cæsaris primo fun-  
 „ duntur, mox recuperatis viribus cum ex vinetis  
 „ 30 Cæsariani erumperent, geminareturque prælium,  
 „ Galli in fugam conjiciuntur, cum dissolutis ordi-  
 „ nibus ad prædam intenti se remitterent, pauci occi-  
 „ duntur, multi capiuntur, inter quos plures primi  
 „ ordinis exules Neapolitani, qui ne quid deterius  
 „ in eis statueretur, a Cæsarianis benignissime dimit-  
 „ tuntur. Pugnatum est duabus horis, capta ad sex  
 „ millia hostium. Petrus Strozzi cum ducentum pedi-  
 „ tibus Cherascum versus fuga salutem nactus est.  
 „ Ulysses Ursinus Tribunus militum, Comes Geor-  
 „ gius Martinengus, cujus virtus eo die emicuit, ca-  
 „ ptivi Alexandriam ducuntur sexagintaquatuor insi-  
 „ gniis Gallorum captis. Qua de re Alexandria læ-  
 „ titiæ publicæ factæ sunt, & mox majori præsidio  
 „ urbs firmatur. Eodem anno die duodecimo mensis  
 „ augusti duo arcus pontis Tanari deciderunt, nec  
 „ mali aliquod fecerunt; in quorum locum suffectus  
 „ fuit pons ex asseribus constructus. Eodem anno die  
 „ tertio mensis septembris locustarum ingens copia ex  
 „ oriente proveniens, Italiam adeo oppressit, ut omnes  
 „ 50 fructus, messesque suo morsu, vel eroserint, vel  
 „ adusserint; quod in omen (1) versum est superve-  
 „ niente clade, quam Alphonsus Davalos Marchio  
 „ Vasti accepit ad Ceresolam; amissis in ea pugna  
 „ contra Gallicum exercitum multis mortalium. Sed  
 „ Dei optimi maximi subsidio adventante hyeme omnes  
 „ illæ periire.

(1) Omnem MS.

MDXLIII. Conventus Pauli III. summi Pontifi-  
 „ cis, & Caroli V. Imperatoris Buseti fit: multæ  
 „ Comitivæ gentis Hispaniarum Alexandria transeunt.  
 „ Galli multas impressiones faciunt, nonnulla oppida  
 „ accipiunt. Interim Gubernator Alexandria mœnia  
 „ oppidi Feliziani solo æquari mandat, quod inobe-